

138/4

Dahlbom,

Capes

MONOGRAPHIA

POMPILORUM SVECICÆ

1922

quam

Venia Ampl. Facult. Philos. Acad. Lund.

PRÆSIDE

CAROLO FR. FALLÉN,

Hist. Natur. Prof. Reg. et Ord. Reg. Acad. Scient.  
Holm. Reg. Societ. Scient. et El. Litt. Gothob.  
Societ. Imperial. Natur. Curios. Moscovit. ut  
et Societ. Nat. Scrutat. Berol. Membro.

Pro Laurea

publicæ disquisitioni subijcit

Auctor

ANDREAS GUSTAVUS DAHLBOM,

Ostrogothus.

In Acad. Carolina die vi Junii MDCCCXIX.



38090.

LONDINI GOTHORUM

Ex Officina BERLINGIANA,

MDCCCXXIX.



In  
*Sacram Regiam Majestatem*  
*Spectatae Fidei Viro,*  
Celeberrimo  
**JOH. W. ZETTERSTEDT,**

*Philosophiae Doctori, Professore Regio, Regiae Academiae  
Carolinae Secretario Ordinario; antehac Botanices De-  
monstratori et Historiae naturalis Adjuncto Or-  
dinario; Regiae Societatis Scient. Littera-  
rumque Elegantior. Gothob. nec non  
Societatis Physiogr. Lund. membra.*

*Sacrum*



. voluit, debuit  
*Beneficiorum memor discipulus  
et cultor devotissimus*  
**GUSTAV. DAHLBOM.**

Quemadmodum imperia, sic etiam scientiæ, suas habent vicissitudines, quibus adolescent, florent, decrescunt et deprimuntur, iterumque surgunt. Entomologia quoque, quæ priscis temporibus parvi æstimata ac in contemptu fere posita fuit, sensim, seculo favente, accrevit, et Auctorum Clarissimorum studio atque industria id hodie attigit fastigium, ut cum scientiis sociis æmuletur, si non palmam iis eripiat. Quisque sollers naturæ scrutator sibi jam pesvasum habet inter hanc et reliquas scientias Zoologicas, arctissimum esse nexum, nullamque earum separatim rite studeri posse.

Postquam in formam disciplinæ redacta fuit Entomologia, non solum in speciebus determinandis et describendis, verum etiam in admiranda earum œconomia perscrutanda quidem desudarunt hujus scientiæ cultores; attamen non omnes ejus partes eadem diligentia eodemque ardore elaboratæ inveniuntur. Eæ scilicet sectiones, quæ comprehendunt objecta aut parvitate corporis aut diversitate sexuum magis difficilia determinatu, posthabitæ et neglectæ sæpe fuerunt.

Inter Insectorum Ordines, quorum species minus bene quam reliquorum sunt extricatæ, *Hymenoptera* in primis numerentur, licet in politia naturæ, utpote castigatores et moderatores aliis insectis noxiis præfixa, ne ea nimium auferentur, maximi sane hæc animalcula æstimentur ponderis. Exemplo erit genus nominati Ordinis Spheginearumque Familiæ *Pompilus*, cujus quatuor tantum species ut Sveciæ incolæ hactenus inveniuntur descriptæ, ad genus Sphegem a LINNÆO allatæ, quamquam multoties specierum, nume-

rus, individuis abundans, campis nostris sterilibus et arenosis certe inhabitat. Cum igitur mihi contigit 22 species hujus generis lustrare, intra fines Patriæ detectas, et partim in Celeberrimorum Præsidis nec non Professoris ZETTERSTEDTI museis, mihi benevole patentibus, adservatas, partim a me ipso collectas, non ingratum opus Entomologiæ Amicis fore putavi, si Specimen editurus Academicum descriptiones et observationes, quales tempus, locus et mea peritia offerre valeant, circa has species publici juris facturus sum, *Chrysides* Sveciæ, colore splendido insignes, proxima vice describere animo meditans.

---

## P O M P I L U S.

**L**ATR. Gen. Crust. et Ins. 489. FABR. FALL. Dispos. Hymen.

Antennæ maris 13-; feminae 12-articulatae, in utroque sexu setaceae, infra medium frontis insertae. Abdomen oblongo-ovatum, teres, basi subito coarctatum.

*Corpus* mediae magnitudinis, oblongum glabriusculum. *Antennæ* vix longitudine thoracis, rigidae extrorsum attenuatae, suturae posticae clypei insertae; articulis basali crasso, secundo brevissimo. *Palpi* maxillares labialibus manifesto longiores, penduli. *Thoracis* lobus anticus tenuis, arcuatim flexus, ad insertionem alarum extenditur. *Alæ* cito vibrantes, sæpius nigricantes, *area speculari* in medio *areolæ geminae* inserta. *Pedes* simplices, femoribus compressis.

*Differentia sexus*; *Mas*: corpore plerumque minori; antennis porrectis, (præter radiculam) 13-articulatis, articulis elongatis; abdomine angustato;

*Femina*: corpore robustiore; antennis (præter radiculam) 12-articulatis, brevioribus, post mortem apice convolutis; abdomine crassiori, stylo anali brevi, retractili cum dolore pungente.

*Victus*: e rapina aliorum insectorum, quæ imagines, more Falconum contra Columbas, arcent et interimunt.

*Habitatio* in viis et campis aridis arenosis; valde agiles, in prædam comparandam semper intenti; die nunquam quiescentes. Cuniculos pro *nidis* ver-

sus auctumnus in terra fodiunt, cylindricos, in quibus larvas Lepidopterorum et alia insecta, ovo imposito, sepeliunt. Sollertia vero, quam in hoc opere perficiendo adhibent feminæ, maximam meretur admirationem. Captam scilicet et aculeo occisam prædam, se ipsis interdum quadruplo majorem, longa via sæpe secum trahunt ad cavernulam, in cujus fundo funus devehunt. Deinde globulos terreos unum post alterum in fossulam devolvunt, et per intervalla pedibus anticis radendo pulverem retrorsum, in foramen conjiciunt, idemque opus repetunt cum pulvere et pilulis alternatim, donec cuniculus penitus oppletus est. Quo peracto sese retro convertunt, et tarsi pedum posteriorum terram supra orificium cuniculi condensant, deprimant et ita complanant, ut nullum tumuli vestigium appareat. Interea cadaver ovum continens, in hoc sepulcro securum et intactum jacet. Cum terra, hieme peracta, recalescit, ovum vi veris et solis excluditur, et tenellus Pompili pulvulus, quem larvam dicimus, in sepulto idoneum ac sufficiens habet nutrimentum. Cadavere devorato, escam non ulterius eget larva adulta, sed in pupam transmutatur.

Svecis dicitur: *Gräf-Stekel*; Germanis: *Grab-Wespe*.

SECT. I. *Abdomine rufo-cingulato*.

1. *P. fuscus* lævis glaber, capite piloso, niger, abdomine basi ferrugineo, alis sordide hyalinis, apice fuscis, areolæ geminæ exteriori trapeziformi, tibiis parce spinosis.

Fabr. Piez 189. 11. ♂ (exclus. Syn. Panz.) *Sphex fusca* Linn. Syst. Nat. 2. 944. 16. Fn. Sv. 1652. ♂. De Geer Ins. 2. 2. 147. t. 28. f. 6. *Sphex gibba* Linn. Fn. Sv. 1658 ♀. *Pompilus gibbus* Fabr. Piez 193. 27. ♀. Panz. Fn. Germ. 77. t. 13. ♀.

Hab. ubique in viis et campis arenosis mens. Jun. — Sept. in Ostrogothia, Gottland. Scan. freq.

*Mas & Fem.* inter majores generis. Caput læve et anus pilosa. Metathorax brevis in medio sæpe canaliculatus. Abdominis segmenta basalia 1 et 2 tota, 3 basi rufa.

Individ. femineum vidi thoracis lobo antico in medio profunde emarginato, in ceteris varietati  $\alpha$  si millimum; an monstrosum?

2. *P. minutus* lævis glaber niger, abdomine basi ferrugineo, alis sordide hyalinis, apice fuscis, areolæ geminæ exteriori trigona, tibiis parce spinosis.

Hab. cum præcedente rarius, in Gottland. Blekingia, Scania ad Esperöd, mens. Jun. — Jul. a Celeb. ZETTERSTEDT inventus.

*Mas & Fem.* Affinis priori, at triplo minor et diversus. Totum corpus glaberrimum. Areola alarum gemina, exteriori triangulari. Abdominis segmenta basalia 1 et 2 tota (3 raro margine basali) rufa. Metathorax brevis, in medio canaliculatus. Oculo armato corpus sericeo-micat.

3. *P. serripes* punctulatus antice pilosus, niger, abdomine basi ferrugineo, alis sordide hyalinis, apice infuscatis, areolæ geminæ exteriori magna subquadrata, tibiis parce spinosis, posticis serrulatis.

*Pomp. fuscus* Panz. Fn. Germ. 65. t. 15. ? ♀.

Hab. in Scania rarius; prope Lund 5 Maj. et ad Abusa 16 Juni captus. E Smolandia quoque a D. PONTÉN ad D. ZETTERSTEDT missus.

*Mas & Fem.* *P. fusco* paullo major, præsertim femina. Caput et thorax inprimis antice parce nigropilosa. Metathorax longior quam in præcedentibus, in medio subcanaliculatus. Alæ infuscata, apice fusciores, areola gemina, interiori suboblonga, exteriori

majori subquadrata. Abdominis segmenta 3 basalia ferruginea. Tibiæ breviter spinulosæ, posticæ præsertim in ♀ lateri exteriori serrulatæ. Anus maris ciliatus.

Var. ♀ duplo minor; ad Wadstenam Ostrogothiæ capta.

4. *P. viaticus* lævis antice pilosus, niger, abdomine basi ferrugineo, cingulis nigris, alis subhyalinis, apice determinate fuscis, areola gemina exteriori subtrigona, tibiis parce spinosis.

Fabr. Piez. 190. 12. *Sphex viatica* Linn. Syst. Nat. 2. 943. 15. Fn. Sv. 1651. (Diagn., et *Sphex fusca* Linn. Fn. 1652. Descript.) Panz. Fn. Germ. 65. t. 16 ♀ De Geer Ins. 2. 2. 153. 6. t. 28 f. 16.

Hab. in viis et sabuletis Uplandiæ, Ostrogothiæ, Gottlandiæ, Blekingiæ et Scaniæ, mens. April—Sept., sæt frequens.

*Mas & Fem.* Præcedente fere brevior, at non angustior. Corpus sublæve, antice nigro-pilosum. Metathorax brevis, in mare subcanaliculatus. Alæ subhyalinæ, apice determinate cærulescenti-nigræ, areola gem. exteriori triangulari. Abdominis segmenta 3 antica dorsalia intense ferruginea, margine postico s. cingulis tribus, magis v. minus perspicuis, nigris. Tibiæ validæ, sed parce spinosæ. Anus maris non ciliatus.

Var. b. ♀ brevior, thorace gibbo, areola gemina exteriori trapeziformi; an *Sphex gibba* Linn. Fn. 1658? Mihi rarissime obvius.

Var. c. ♀ femoribus posticis apice rufo-annulatis, in ceteris var. a. simillimus, cum qua ad Abusa 12 April parce lectus. Ad Wadstenam quoque mense Julio unicum specimen inveni.

Var. d. ♀; simillimus var. c. alis totis brunnescentibus. In Promontorio Hoburg Gottlandiæ 19



Jun. rarius; etiam in Ostrogothia a D. ZETTERSTEDT semel captus.

5. *P. hyalipennis* subtiliter punctulatus subglaber niger, abdomine basi ferrugineo, alis hyalinis, puncto stigmaticali distincto fusco, areolæ geminæ exteriori magna subquadrata, tibiis breviter et parce spinosis.

Hab. in Svecia rarissime, Museo D. Professoris ZETTERSTEDT.

*Mas.* Magnitudo *P. fusci*, eique similis, sed in pluribus distinctus. Corpus subtiliter punctulatum glabrum, pilis aliquot griseis in capite et thorace adpersis. Metathorax longior, subcanaliculatus. Abdominis segmenta basalia 1 et 2 tota, 3 summo margine antico ferruginea. Anus pilosus, sed non ciliatus. Alæ hyalinæ, stigmate magno, et summo alarum apice fuscis. Area costalis ultima longior quam in prioribus. Areola gemina: exteriori subtrapeziformi, fere quadrata. Tibiarum spinæ parvæ et brevissimæ.

6. *P. nudipes* subtilissime punctulatus glaberimus niger, abdominis segmento primo secundoque rufis, alis hyalinis immaculatis, areolæ geminæ exteriori subquadrata, tibiis muticis.

Hab. in Svecia rarius; ad Garde Gottlandiæ 21 Jun., et ad Esperöd Scaniæ 22 Jul. individua aliquot mascula a D. Prof. ZETTERSTEDT inventa.

*Mas. P. minuto* duplo minor. Totum corpus subtilissime punctulatum glabrum. Metathorax oblongus, canaliculatus. Abdominis segmenta 1 et 2 tota, et 3 antice ad latera, rufa. Anus nudus. Alæ hyalinæ, immaculatæ, stigmate parum perspicuo; area costalis ultima brevis; areolæ geminæ subæquales, subquadratæ nervum emittunt brevissimum, nec

ut in nonnullis conspicietur ad apicem alæ fere extensum. Tibiæ et tarsi omnino mutica.

7. *P. maculipennis* punctulatus subglaber niger, abdomine basi ferrugineo, alis hyalinis, puncto stigmaticali distincto fasciaque intra apicem abbreviata fuscis, areolæ geminæ exteriori trapeziformi, tibiis posticis serratis.

Hab. in Scania rarissime; ad Esperöd in Paroecia Tranås a D. ZETTERSTEDT lectus, et in Museo ejus conservatus.

*Fem.* Magnitudo et affinitas *P. hyalipennis*, sed forma areolæ alarum et armatura pedum mox distinctus, et vix ejus femina. Corpus punctulatum glabrum, pilis aliquot griseis adpersum. Metathorax brevis, lævis nitidus. Abdomen ut in *P. hyalipenni*. Alæ quoque ut in illo, sed areolæ geminæ exteriori minus regulariter quadrata, et macula fusca non ipsum apicem (ut in *P. hyalipenni*) sed pone punctum stigmaticale aream costalem ultimam et areolam geminam transit, fasciam abbreviatam formans. Tibiæ posticæ latere externo distincte serrato.

8. *P. exaltatus* punctulatus glaber niger, abdominis segmentis tribus basalibus rufis, alis hyalinis apice fuscis, puncto intra apicem albo, areolæ geminæ exteriori quadrata, tibiis posticis serrulatis.

Fabr. Piez. 195. 41. ♀ Panz Fn. Germ. 84. t. 10 certe ♀.

Hab. in sabulosis Ostrogothiæ et Scaniæ mens. Jun. — Sept. passim frequens; mas vero raro occurrit.

*Mas & Fem.* *P. fusco* sæpe paullo minor sed variat magnitudine. Corpus subtiliter punctulatum glaberrimum. Metathorax brevis convexus, parum cancellatus. Abdominis segmenta antica 3, raro tan-

tum 2 (ut in figura Panzeri) rufa. Anus ♀ pilosus. Areæ alarum in utroque sexu similes, areolæ scilicet geminæ exteriori semper subquadrata, sed in mare alæ totæ fuscæ, in femina tantum apice fuscæ, puncto magno orbiculato albo. Tibiæ posticæ latere exteriori in ♂ obsolete, in ♀ evidenter serrulatæ.

Var. b. ♀ femoribus posticis, interdum quoque tibiis, raro tibiis omnibus, rufis; alias var. a. simillimus. In littoribus maris Scaniæ ad Esperöd et Högstad præsertim occurrit hæc varietas.

SECT. II. *Abdomine nigro, interdum flavo-vel albo-maculato.*

“ *Pedibus nigris.*

9. *P. hirconus* subtiliter punctulatus pubescens niger, alis hyalinis, fascia media et apicali fuscis, macula intra apicem albida, tibiis muticis.

Fabr. Piez. 195. 40. ♀. Panz. Fn. Germ. 87. t. 21. certe. *Sphex variegata* Linn. Fn. Sv. 1655 vera (minime vero FABRICII *Sphex variegata* Ent. Syst. 2. 211. 53. eadem.)

Habitat in arenosis et argillosis Ostrogothiæ, Ölandiæ, Gothlandiæ et Scaniæ, mens. Jun.—Aug. passim; Mas semper rarior.

*Mas & Fem.* Magnitudo et affinitas *P. exaltati*, differt colore et armatura pedum. Totus punctulatus subpilosus niger, alis hyalinis, fasciis duabus media angusta, exteriori versus apicem lata, fuscis. Macula intra apicem fuscum rotunda alba, areolæ gem. exteriori subquadrata. Metathorax sæpe scaber, aut canaliculatus. Tibiæ omnino inermes.

Var. b. ♂ ♀. alarum fasciis minus determinatis, macula alba intra apicem obsoleta; corpore subglabro; forte adultior et detritus. *P. bifasciatus* Fabr. Piez. 193. 26. *Sphex bifasciata* Fabr. Ent. Syst. 2.

212. 58. Panz. Fn. 86. t. 11. ♀. Ad Godgård et Wadstenam Ostrogothiæ mens. Jul. nec non in Scania ad Esperöd captus.

10. *P. niger* subtilissime punctulatus glaber niger, abdominis segmentis basi sericeo-albomicantibus; alis sordide hyalinis apice fuscioribus; areolæ geminæ exteriori subtrigona; tibiis spinosis.

Fabr. Piez. 191. 15. *Sphex nigra* Panz. Fn. Germ. 71. t. 19. ♀.

Hab. in Sanda Gottlandiæ, 11 Jun. captus. — In Scania quoque a *D. Præside*, et a me ad Wadstenam mens. Jul. rarius lectus; acerrime pungens.

*Mas & Fem.* Affinis *P. fusco*, ei magnitudine fere æqualis, at colore diversus. Corpus glabrum, ano piloso. Alæ infuscatæ, apice fusciores. Areolæ geminæ exterior subtrigona. Abdominis segmenta 2, 3 et 4 margine basali albo-sericeo-micant. Tibiæ posticæ parce spinosæ, tarsis anticis subtus pubescentibus s. brevissime spinulosis.

11. *P. ater* corpore toto nigro; alis sordide hyalinis, postice fuscioribus: areola gemina exteriori trapezina.

*Mas & Fem.* Habitat in Esperöd Scaniæ, flores Umbellatorum visitans. Summa præcedentis similitudo, præter areolam alarum geminam, in qua utraque formam trapezinam habet, nec ut in *P. nigro*, ubi exterior triangularis est. Ceterum abdomen paullo distinctius petiolatum, et tibiæ sæpissime parum perspicue spinosæ. Variat tamen: tibiis extrorsum spinulis distinctis paucioribus armatis.

*Mas* femina interdum triplo minor et ultra.

12 *P. pulcher* subtilissime punctulatus, glaber niger, corpore maris toto, clypeo pedibusque feminae albo-micantibus, tibiis in utroque sexu tarsisque omnibus longe spinosis, alis hyalinis apice fuscis.

*P. pulcher* Fabr. Piez. 193. 29?

Hab. in Scania ad Marklunda, Högestad, Esperöd et Silfåkra; nec non in Gottlandia ad Gothem, Museo D. ZETTERSTEDT; in littore arenoso lacus insignis Wetteren, prope Wadstenam et Medhamra, plura individua utriusque sexus, femineaque in larvas at-  
trahendo et ovo imposito sepeliendo strenue occupa-  
ta, mense Julio anni præteriti etiam ipse observavi.

*Mas & Fem.* Femina *P. hircano* magnitudine æquiparat, mares interdum triplo v. quadruplo minores. Corpus sublæve, glabrum. Metathorax profunde canaliculatus. Alæ hyalinæ, apice determinate fuscae. Punctum stigmaticale distinctum. Area costalis ultima brevis. Areolæ geminae exterior subquadrata nervum emittit in apicem non excurrentem. Mas (illæsus) corpore toto albo-sericeo-micat, tibiis tarsisque parce et breviter tantum spinulosis; femina: corpore nigro, clypeo tantum, segmentorum margine pedibusq. albo-submicantibus, tibiis parce tarsisque longe spinosis. — Hæc species cum *P. nigro* hactenus forte confusa.

Var. b. ♀ alis brunnescentibus, alias var. a similimus. Ad Wadstenam 22 Aug. captus.

13 *P. punctum* subtiliter punctulatus, subpubescens niger, fronte maris flavo-bilineata, ano in utroque sexu puncto albo, alis hyalinis immaculatis, pedibus simplicibus inermibus.

Panz. Fn. Germ. 86. t. 12. ♂. *Evania punctum*  
Fabr. Piez. 187. 9. ♂.

Hab. rarius ad Lärketorp Ostrogothiæ D. ZETTERSTEDT, in Scania D. SUNDEWALL.

*Mas & Fem. P. hircano* plerumque duplo minor, præsertim mas. Corpus opacum griseo-subpilosum. Metathorax depressus, canaliculatus. Alæ immaculatæ, areolæ geminæ exteriori magna, trapeziformi. Abdomen breve, basi coarctatum, segmento ultimo anali puncto albido magis vel minus perspicuo notato. Tibiæ et tarsi omnino mutici. Frons maris intra oculos flavo-bilineata, et abdomen parvum angustum.

14 *P. clavipes punctulatus* subpilosus, nitidus, niger, metathorace scabro, alis sordide hyalinis immaculatis, pedibus muticis, femoribus clavatis.

Hab. in Ostrogothia rarius; e Westrogothia quoque sub nomine *Pomp. nigro var. min.* a D. DALMAN communicatus, Mus. D. ZETTERSTEDT.

*Fem.* Magnitudo fere præcedentis. Corpus parce punctatum nitidum parce nigro-pilosum. Frons inter antennas lamina elevata. Lobus thoracis anticus utrinque tuberculatus. Metathorax scaber et cancellatus. Abdomen lævisimum, ano nudo, cauda subexserta. Alæ immaculatæ, areolæ geminæ exteriori subquadrata. Pedes omnino mutici, femoribus basi valde clavatis. — An proprii generis? sed antennæ, alæ et habitus *Pompili*.

15 *P. sanguinolentus* lævis, glaber niger, thoracis lobo antico et metathorace rufis, abdominis segmentis margine albo-micantibus; alis hyalinis immaculatis.

Fabr. Piez. 192, 19. verus.

Hab. in Svecia rarissime, nec nisi duo individua, unum in Museo Præsidis, et alterum in Mus.

Prof. ZETTERSTEDTI adservata vidi, posterius in Smolandia ab ipso Possessore inventum.

*Fem.* Præcedente fere minor, angustior, linearis. Caput sessile convexum læve nigrum, sericeo-micans. Antennæ protuberantiæ frontis insertæ. Thoracis lobus anticus latus transversus rufus. Dorsum nigrum. Metathorax convexus rufus. Abdomen nigrum, segmentis basi et apice sericeo-lucidulis. Alæ sordide hyalinæ immaculatæ, area costali ultima brevi, areolæ geminæ exteriori quadrata. Pedes simplices nigri, tibiis anticis brevibus muticis, posterioribus parce subspinosus.

\* \* *Pedibus saltem ex parte rufis.*

16. *P. rufipes* sublævis pubescens ater, abdominis segmentis mediis utrinque, puncto albedo, femoribus posterioribus tibiisque omnibus rufis, alis brunnescentibus apice fuscis.

Fabr. Piez. 195. 37. *Sphex rufipes* Linn. Fn. Sv. 1659. Panz. Fn. Germ. 65. t. 17.

Hab. in sabuletis Ostrogothiæ rarius; in Scania, D. Præses.

*Fem.* Magnitudo *P. exaltati*. Corpus sublæve, antice præsertim nigro-pilosum. Metathorax vix canaliculatus. Abdomen glabrum nigrum, segmento secundo tertioque puncto utrinque, quinto seu penultimo fascia interrupta, flavo albidis; anus niger. Areolæ geminæ exterior subquadrata. Pedes rufi, femoribus anticis totis, posterioribus basi nigris; tibiis tarsisque rufo-spinosis, his fuscis.

Var. b. ♀ lobo thoracis antico lineolis duabus transversis flavo-albidis. E Smolandia.

17. *P. septemmaculatus* sublævis pubescens ater, abdominis dorso maculis 7 albis, femoribus tibiisque posterioribus rufis, alis hyalinis apice fuscis.

Hab. in Ostrogothia rarissime; in littore areno-

so ad Wetter, prope Wadstenam mens. Jul. 1828 specimen unicum inveni.

*Fem.* Statura robusta præcedentis, sed paullo minor, medius quasi inter illum et sequentem. Corpus antice parce nigro-pilosum. Metathorax non canaliculatus. Abdomen glabrum nigrum, segmentis 2, 3 et 4 macula utrinque, et anali, puncto albidis. Pedum posteriorum femora dimidiatim tibiæque rufa, tibiis intermediis basi nigris, omnibus cum tarsis spinosis. Alæ hyalinæ, apicæ late determinate fuscis. Areolæ geminæ exterior subquadrata.

18. *P. fuscatus* sublævis pubescens ater, abdominis segmento tertio macula utrinque alba, femoribus tibiisque posterioribus rufis, alis hyalinis apice fuscis.

Fabr. Piez. 192. 22. *Sphex fuscata* Fabr. Ent. Syst. 2. 212. 57.

Hab. in Ostrogothia rarius; in Scania quoque captus.

*Fem.* *P. rufipede* duplo minor, statura similis. Caput et thorax antice nigro-pilosa. Metathorax non canaliculatus. Abdominis segmentum tertium macula transversa utrinque alba. Anus immaculatus. Alæ ut in priori. Pedes nigri, posteriorum femoribus dimidiatim tibiisque rufis, his una cum tarsis omnibus fuscis spinosis.

19. *P. bipunctatus* sublævis pubescens niger, abdominis segmento secundo macula utrinque, tertio fascia abbreviata albidis, femoribus tibiisque posterioribus rufis, alis hyalinis apice fuscis.

Fabr. Piez. 195. 38. *Sphex bipunctata* Panz. Fn. Germ. 72. t. 8.



Hab. in Scania non frequens; ad Esperöd 1 Aug;  
in Blekingia a D. ASPEGREN lectus.

*Mas.* Priori vix brevior sed multo angustior, an  
ejus aut *P. rufipedis* mas? Caput, thorax, alæ et pe-  
des omnino ut in illo constructa et colorata, modo  
tarsi anteriori in *P. bipunctato* inermes. Abdomen angu-  
stum lineare nigrum, segmento secundo puncto utrin-  
que, tertio fascia basali in medio interrupta, anoque  
albis.

Var. b. ♂ Simillimus var. a., sed puncta abd.  
segmenti secundi omnino deficiunt, et femora inter-  
media tota nigra summo apice tantum rufa. In Wamb-  
lingbo Gottlandiæ locis arenosis sylvaticis 20 Jun.  
1819 a D. ZETTERSTEDT 2 specimina detecta.

20. *P. femoralis* punctulatus glaber niger, tibi-  
is anterioribus femoribusque posticis rufis,  
alis hyalinis immaculatis, pedibus muticis.

Hab. in Scania passim; ad Esperöd et Abusa,  
Museo D. ZETTERSTEDT.

*Mas.* Magnitudo et forma præcedentis, colore  
et armatura tibiæ certe distinctus. Corpus sericeo-  
subpubescens, minime vero pilosum. Metathorax  
subcanaliculatus. Alæ fusco-hyalinæ, macula intra  
apicem albida, magis v. minus evidens; areola costa-  
lis brevis; areolæ geminæ exterior magis regulariter  
quadrata quam in priori. — Pedes omnes et toti  
mutici. Color paullo variat.

Var. a. ♂ niger, tibiis anterioribus, femoribus  
posticis in medio rufis, abdomen aut totum nigrum  
aut segmento secundo rufo-bimaculato. Esperöd 15  
Jul.

Var. b. ♂ niger, femoribus intermediis apice,  
posticis totis tibiisque anterioribus rufis, abdominis  
segmento secundo fascia basali rufo-picea. Abusa  
rar.

21. *P. calcaratus punctulatus pubescens brevis niger*, femoribus apice rufis; alis hyalinis in medio subinfuscatis, pedibus submuticis, spinis tiliarum ordinariis longis albissimis.

Hab. in Scania rarissime; ad villam amoenissimam Esperöd d. 15 Jul. individuum unicum invenit Cel. ZETTERSTEDT.

*Mas.* Statura brevis *Ceropalis maculatæ*, sed certe *Pompili* generis. Magnitudo *P. bipunctati*. Corpus punctulatum. Caput et thorax griseo-pubescens. Metathorax brevis, vix canaliculatus. Abdomen oblongo-ovatum glabrum nigrum, immaculatum. Alæ basi apiceque albo-hyalinæ, in medio subinfuscatæ; punctum stigmaticale distinctum fuscum; area costalis ultima mediocris; areolæ geminæ exterior sat magna trapeziformis nervulum emittens usque ad summum marginem alæ extensum. Pedes pube brevissima tecti nigri, femoribus anterioribus apice, posticis dimidiatim rufis; tibiæ antice quoque rufescunt. Tibiæ et tarsi omnia mutica, præter spinulas nonnullas brevissimas in latere exteriori tiliarum posticarum. — Spinæ vero ordinariæ in apice tiliarum adsunt, et in hac specie longiores sunt quam in conspiciendis, nec non albissimæ.

22. *P. clypeatus lævis glaber niger*, ore punctisque duobus in thoracis antico flavis, alis hyalinis versus apicem fascia fusca, pedibus rufis, tibiis posterioribus duplici serie nigro-spinulosis.

*Ceropales rufipes* Gyll. *Pompilus Phoenicopus* Dalm. in litteris.

Habitat in Svecia passim; ad Esperöd Scaniæ et locis aridis Ölandiæ 17 Aug. a Cel. ZETTERSTEDT lectus.

*Fem.* *P. femorali* sæpe minor, Brevis et vix ejus

femina, nam in multis distinctus. Corpus læve, pube brevissima holosericea tectum, nigrum. Os, clypei apex magis vel minus late, ut et punctum in vertice ad oculos utrinque flava. In thoracis lobo antico lineola transversa utrinque flava quoque adest. — Metathorax subcanaliculatus. Abdomen subovatum immaculatum. Alæ hyalinæ fascia intra apicem fusca; areolæ geminæ exterior subquadrata. Pedes validi rufi, coxis spinisque tibiæ posteriorum brevibus, minutis parvis duplici serie locatis, nigris. Tarsi quoque nigro-spinulosi.

Var. b. ♀. Femoribus in medio, raro totis infuscatis; in ceteris simillimus var. a., cum qua habitat.

---